

1560

Philippus

Mocenicus

regni Cy-

prii Anti-

stes electus.

Andreas

Bolduus

Mocenicus lo-

co ad Allo-

brogem

orator.

Barbadicum, Hieronymum Trivisanum viros sacratos; Philip-pum Mocenicum, ad Allobrogum Ducem legatum designa-tum, Patres nuncupavere: ex his Mocenicum, morum inte-gritate, atque egregia doctrina præstantem, Pontifex delegit; cui Andreas Bolduus orator ad Sabaudum est suffectus.

Verum ea tempestate cunctorum oculi ad Galliæ regnum obvertebantur, quod Henrici fortissimi, ac prudentissimi Re-gis excessu ad Franciscum impuberem, ac feminam pervene-rat, in eamque rerum conditionem inciderat, ut, externis li-cket bellorum turbinibus discussis, in dies magis intestinis mor-bis vexaretur, ac variis exagitatum affectibus, haud parum pristini roboris amitteret, gliscientibus religionis dissidiis, at-que in complurium animis novarum rerum studiis, vel ad privatas augendas fortunas, vel ad conterendos adversarios, affurgentibus, quæ jam tum a Francisci magni exorta tempo-ribus, paulatim se se extulerant; dum continentibus bellis distento, atque cum Germanis fœdere juncto, ex illius gen-tis primoribus multi Lutetiam, atque alia Galliæ loca fre-quentarent, qui cum a recto priscæ religionis instituto defle-xissent, pravo exemplo, veluti tabifico attactu, Gallos pleros-que affecerant. Inde per libellos novæ doctrinæ virus diffu-sum, plebem libertatis lenocinio pellegerat; proceribus nova-rum rerum cupidine inflammatis stimulos, ac faces addide-rat: cum præsertim Antiftites, crediti sibi curandarum ani-marum muneric prorsus obliti, & in Regum aulis vitam tra-ducere soliti, immensas reddituum ecclesiasticorum opes ex-haurirent; non iis, qui doctrina, morum integritate, ac reli-gione præstant, sed qui regni negotia obirent, sacræ digni-tates præmii loco tribuerentur; egregiæque mercedis fructus nonnunquam fœdo exemplo ad pueros, feminasque manaret. Resolutis proinde ecclesiasticæ disciplinæ nervis, atque doctri-næ, ac pietatis aggere comminuto, haud difficile fuit, homi-nes, in vetitum semper nitentes, atque semel laxatis habenis, in omne impudentiæ genus proclives, a veritatis semita aber-rare. Tot malorum cumulo Franciscus Rex, catholicæ religio-nis observantissimus, obviam ire conatus est; gravissimis poen-is novatores coercuit; severè in fontes animadvertisit. Verum quæ stirpitus morbum evellerent, nulla idonea satis remedia

Franciscus

Regis sedu-

litas in reli-

gionis nova-

toribus ple-

tendis.

in-